


Michael Eifler

M. Michaelis Eifleri, P.P. Lineamentorum Logicae : Quatuor Tabulis Generalibus Comprehensorum Dilucidationis Opera ...

1 : Circa Tabulam Prooemialem De Natura Logicae. Et I. Principalem De Termino Simplici, Primam Intellectus Operationem, in cognoscendo vero, dirigente

[Regiomonti]: Typis Mensenianis, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796454256>


Band (Druck) Freier  Zugang



Ol, a - 10.

Auszug

E. 6. 3/85.^{1.2.}



Philosophie

M. MICHAELIS EIFLERI, P.P.
LINEAMENTORUM
LOGICÆ

Quatuor Tabulis Generalibus
Comprehensorum
DILUCIDATIONIS
OPERA I.

Circa Tabulam Proœmialem
De NATVRA LOGICÆ.
Et I. Principalem
De TERMINO SIMPLICI,
Primam Intellectûs Operatio-
nem, in cognoscendo vero,
dirigente.

Quam
D. D.

Sub AUTORIS Præsidio
PUBLICÆ VENTILATIONI
Subjicit Exercitiij gratiâ,
MICHAEL SAPHRANIUS,
Angerburg. Prussus.
In Acroaterio Maiori Veteris Collegij
Ad d. 17. Aprilis, MDCCCLIV.

TYPIS MENSENIANIS vulgata.

D. D.

LOGICÆ Consideratio duplex, rectè statuitur; una Proœmialis, quantum ad *Prælua*: altera Principalis, quoad ipsum *Systema*. Nam ex præcognitis, fit omnis doctrina, lib. 6. de Moribus c. 4.

PRÆLUDIA LOGICÆ.

Consideratio Proœmialis persequitur ea, quæ *Naturam* Logicæ concernunt, in antecessum explicandam, discentis gratiâ.

Estq; Nominalis, vel Realis. Illa vocem; hæc rem, voce notatam, expendit.

Consideratio Nominalis concernit Paronymiam, Homonymiam, & Synonymiam.

PARONYMIA proponit Originem vocis, ortu græcæ, sed usu latinæ: quam proximè trahit à nomine Logos, *Verbum* humanum; principaliter *internum*, minus principaliter *externum*, significante: quòd utramq; dirigat in cognoscenda veritate.

HOMONYMIA persequitur vocis significationem, & distinctionem.

Significatio duplex est; una *generalis*, altera *specialis*, & præsentis instituti.

A z

Signi-

Significatione generali, denotat Logica complexum omnium disciplinarum instrumentalium; ideo quod singulae circa logon, mentalem aut oralem & literalem, artificiosè dirigendum, occupentur: sic in *Grammaticam*, *Rhetoricam*, & *Dialecticam* vulgò dispescitur.

Significatione speciali, dicit Logica partem hujus complexi, quâ mens in cognitione rerum quarumvis ad veritatem dirigitur.

Eaq; distinguitur in Innatam, & Acquisitam.

Innata, quam etiam *naturalem* vocant, est facultas differendi, cunctis hominibus congenita.

Acquisita verò dicit *habitum*, certo modo comparatum; naturalem differendi vim perficientem.

Estq; vel *Usualis*; per solam *experientiam*, sine præceptis obtenta: vel *Artificialis*; certis *præceptis* atq; *regulis* innixa.

Quæ vel *Doctrinalis*, quam aliàs *Systematicam* vocant; vel *Habitualis*, per illam repræsentata.

Doctrinalis est *Systema præceptorum* differendi, methodicè digestum in libro.

Habitualis est *qualitas animi*, difficulter mobilis, naturalem facultatem differendi facilians.

Estq;

Estq; vel *Docens*; intellectum, quò modò rectè differere debeat, instruens: vel *Urens*, & ad certum objectum, quod cognoscitur, applicata.

SYNONYMIA tradit æquivalentem appellationem: estq; tum *primaria*, voces æquipollentes magis frequentatas; tum *secundaria*, voces æquipollentes minus frequentatas, exhibens.

Voces æquipollentes magis frequentata, sunt partim *Dialectica*: quæ synonymum est, & adæquatum, integram logicam; & inadæquatum, partem ejus, quâ Syllogismus probabilis exhibetur, denotans.

Partim *Organum*; quòd sit instrumentum eruditionis: utilissimum, imò maximè necessarium, omnibus Scientiis, perfectè tractandis, & obtinendis.

Minus frequentata, sunt *Methodica*, *Pædia*, *Modus sciendi*, *Manus Philosophiæ*: *Cynosuramentis*, *oculus rationis*, *cos ingenii*, *lima judicij*, *trutina veritatis*, *ars artium*, & id genus.

Consideratio Realis, concernit *Existentiam*, & *Essentiam* ejus.

EXISTENTIAM probat *Experientia*: quâ deprehendimus eos, qui dicultè, & frequenti cum errore, differebant, ubi

certis imbuti sunt præceptis, non solum expedite, sed etiam sine lapsu, differere.

ESSENTIAM explicant Argumenta, partim incomplexa, cum primaria, tum secundaria: partim complexa.

Incomplexa, Primaria sunt Genus, Causæ, Subjectum.

GENUS Remotissimum, est habitus: & quidem acquisitus. Per quod excluduntur, *Ar. sensu ramæo, Doctrina, Disciplina.*

Genus Remotum, est habitus intellectualis: isq; verus, & perfectus. Per quod excluduntur; habitus Corporis, & Appetitus: habitus falsus; ut Error: habitus imperfectus; ut Opinio, Fides, Suspicio, Dubitatio.

Genus Propinquum, est habitus practicus: & quidem, activus; est non moralis. Per quod excluduntur, in genere, habitus Theoreticus: habitus simul theoret. & practicus: habitus nec theoreticus, nec practicus: habitus Factivus.

In specie; Intelligentia: Scientia: Sapientia: Prudentia: Ars, sensu peripatetico.

Genus proximum, est habitus instrumentalis. Est enim Logica suâ natura propter alios habitus, perfectè consequendos, quibus inservit.

CAUSÆ, sunt vel internæ vel externæ.

Internæ, sunt partim **MATERIA**. Tum *sensibilis*; *Præcepta* *Logicæ* *Doctrinalis*: tum *intelligibilis*; *habitus* *partiales*, ex quibus integratur *habitus* *logicæ*.

Partim **FORMA**. *Logicæ* *Doctrinalis*; *Methodus*, & quidem *Analytica*: *Habitualis*; *Ordo* *partialium* *habituum*, ex quibus *Logica* constat.

Externæ sunt *Efficiens*, & *Finis*.

EFFICIENS *principalis*, præter *Deum*, uti *causam* *universalem*, sunt *Vni* *sapientes*: qui propter *faciliorem*, & *accuratior* *sciendi* *rationem*, *logicam* *artificiosam* *inven-*
runt.

Efficiens *minus* *Principalis*: *Impellens*; est *naturalis* *defectus*, in *accurato* *modo* *cognoscendi* *verum*: & *naturale* *desiderium* *perfectio-*
nis, & *certitudinis* *in* *cognoscendo*.

Instrumentalis; *Communis* est *Sensus*, *Observatio*, *Experientia*, *Inductio*: *Propria* *re-*
motè, *naturalis* *differendi* *facultas*; *proximè*; *frequens* *actus* *differendi*.

FINIS, est vel *internus*, & in *potestate* *logicæ* *constitutus*: vel *externus*, quem non *semper*, ut *ut* *eum* *intendat*, *consequitur*.

Finis *Internus* est, *cum* *adæquatus*; *artificia-*
lis *rectitudo* *mentis* *nostræ*: *consistens* *in* *debita* *co-*
gnoscentium *operationum* *intellectûs* *con-*

formitate cum regulis & præceptis artificioso differendi.

Tum *inadequatus*; *Demonstratio*: *Syllogismus*: *Argumentatio*: *Discursus*; *Argumentationem* & *Ordinem* includens. Non uti sunt media differendi; sed artificialis reſtitudo, per media, nominis ejusdem, introducta.

Finis Externus, est *veritas cognitionis*, pro ut dubia, vel ſaltem perplexa, certis differendi modis artificiosis, instrumentaliter obtinetur.

Estq; vel *reſſentativa*, quâ ſimplicium apprehenſio conformis eſt rebus ſimpliciter apprehenſis: Vel *judicativa*, quâ ſimpliciter apprehenſorum, aut compoſitio per affirmationem, aut diviſio per negationem facta, conformis eſt rebus enunciative compoſitis, aut diviſis: Vel *diſcuſſiva*, quâ compoſitorum, aut diviſorum, illatio vel ordinatio conformis eſt rebus per Syllogiſmum illatis, aut per Methodum ordinatis.

SUBJECTUM, eſt vel immediatum, & primarium, & ſecundarium; reſtitutionem ſuſcipiens: vel mediatum, cum principale, tum minus principale; circa quod operationes intellectus cognoscentes diriguntur.

Immediatum Primarium, ſunt operationes intel-

Intellectus cognoscetes, artificialiter dirigibiles: adeoq; conformabiles ad regulas & ideas logicas, ut per eas artificiosè rectificentur, & in cognitione veritatis dirigantur.

Suntq; *simplicium apprehensio*, quâ res simplices, citra combinationem enunciativam, intelligimus: *Compositio*, quâ simplicitex apprehensorum consensum enunciamus: *Dicursus*, quo deducimus unum ex alio, vel tanquam ignotius ex notiori, per argumentationem, vel tanquam posterius ex priori, per methodicam collocationem.

Immediatum secundarium, sunt *Voces*, & *Scriptura*, quatenus uti signa conceptuum, ac operationum intellectûs, veritatis capaces, in eamq; dirigibiles sunt.

Mediatum Principale, sunt *res omnes cognoscende*, cum simplices, tum conjunctæ quovis modo; quatenus notionibus differendi subistere possunt.

Minus principale; *Voces* & *Scriptura*, pro rebus substitutæ, quatenus intellectus noster in veritatis manifestatione circa eas dirigitur.

Incomplexa Secundaria, sunt *Attributa*, *Cognata*, *Pugnantia*.

ATTRIBUTA sunt potiora, 1. *Unitas*, quâ logica non est qualitas simplex, sed

A 5

habi-

habitus aggregatus; unam specie disciplinam constituens.

II. *Neceſſitas*; quâ nec homo doctus, nec ulla disciplina, ſtatum perfectionis obtinet, ſine Logica.

III. *Communitas*; quâ tam latè patet uſus logicæ, quàm latè mens noſtra ſeſe circa res cognoſcendas extendit.

COGNATA, ſunt in primis; *Meta-phyſica*, ratione generalitatis, & communitatis: *Rhetorica* & *Pœtica*, ratione ſubjecti, finis, methodi; quæ tamen ſpecie diſciplinari diſferunt ab ipſa.

PUGNANTIA ſunt, in *Exceſſu*; in-erudita *confuſio* rerum transcendentium cum notionibus logicis: & indifferens *uſurpationum* diſſerendi.

In *Deſectu*; partim inconsiderata *neglectio*, partim *mutila tractatio*, Logicæ: partim *indebita partium* ejus *ordinatio*.

Argumenta Complexa, ſunt *Definitio*, & *Diviſio*.

DEFINITIO talis eſſe poteſt: Logica eſt habitus *instrumentalis*, intellectum noſtrum circa res cognoſcendas ad *veritatem* dirigens.

DIVISIO *Partes* ejus *assignat*; quarum
Tres

Tres sunt. I. de *Termino simplici*. II. de *Propositione*. III. de *Discursu*.

I. PARS Logicæ

DE TERMINO SIMPLICI-TERMINUS SIMPLEX, primam intellectu cognoscentis operationem dirigens, est vel signans, vel signatus.

SECTIO I. DE TERMINO SIGNANTE.

TERMINUS SIGNANS est, quo terminus objectivus, sub intentione differendi, significatur. Et consideratur vel absolute, vel collate.

Terminus Signans **ABSOLUTE CONSIDERATUS**, attenditur penes Materiam, & Formam Termini.

MATERIA Termini, dicitur id cui vis significandi convenit. Estque sic terminus vel mentalis, vel vocalis, & scriptus.

Terminus Mentalis, est conceptus rei simplicis in intellectu.

Qui vel *Medius*, quem intellectus ad aliquid cognoscendum dirigit; ut est omnis conceptus vocis significativæ: vel *Ultimus*, in quo mens acquiescit; ut est omnis conceptus rei cognitæ, vel etiam vocis non significativæ.

Terminus Vocalis, est vox expers affirmationis, & negationis: *Scriptus*, dictio literis exarata, rem & conceptum simplicem significans.

FOR-

FORMA Termini, dicitur significatio; quæ spectatur quoad rem significatam, & quoad modum significandi.

Quoad Rem significatam; est Terminus Signans, I. *Significativus*, qui significat aliquid ex instituto; ut, cœlum, terra: vel *non-significativus*, qui nihil ex instituto significat; ut blâtri, dipsantis.

II. *Materialis*, qui solum pro voce, non pro vocis significatione, sumitur; ut Deus, cum nomen, aut bisyllabum dicitur: vel *Formalis*, qui nō pro voce, sed pro re significata per vocem, sumitur; ut Deus, cum substantia, vel prima causa, dicitur.

III. *Realis*, qui significat aliquid notionis primæ; ut, animus, scientia: vel *Intentionalis*, qui significat aliquid notionis secundæ; ut, genus, species.

IV. *Positivus*, qui significat aliquid, quod essentiam realem habet; ut, ignis, aer: vel *Negativus*, qui significat aliquid, quod essentiâ reali destituitur.

Estq̄, vel *purè negativus*, qui removet essentiam respectu cujusvis subjecti; ut, non videns, non-dormiens: vel *privativus*, qui removet essentiam respectu certi subjecti; ut, cæcitas, somnus.

V. *Absolutus*, qui significat aliquid respectu

spectu prædicamentali carens; ut, aurum, amor: vel *Respectivus*, qui significat aliquid aliorum totâ suâ naturâ terminatum; ut, Dux miles.

VI. *Communis*, qui significat aliquid, pluribus sibi subjectis, communicabile; ut, virtus, vitium: vel *singularis*, qui significat aliquid unum numerò; ut, Adam, Eva.

VII. *Collectivus*, qui significat plura, per accidens in unum aggregata; ut, senatus, grex: vel *Divisivus*, qui significat aliquid pluribus ita competens, ut adæquatè nulli seorsim attribui possit; ut, contractus, duellum.

VIII. *Subjicibilis tantùm*, qui significat aliquid, quod duntaxat subjecti locum in enuntiatione naturali sustinere potest; ut, Individuum, & quodvis inferius respectu superioris sui: vel *Prædicabilis tantùm*, qui significat aliquid, quod duntaxat prædicatum in enuntiatione naturali sustinere potest; ut, Ens, & quodvis superius respectu inferioris sui: vel *Subjicibilis & Prædicabilis simul*, qui significat aliquid quod diverso respectu subjectum & prædicatum esse potest; ut, Spiritus, corpus.

IX. *Prædicamentalis*, qui significat rem certæ categoriæ; ut, arbor, linea, color: vel *non-prædicamentalis*, qui significat aliquid extra categorias positum. Estq̄, vel Excedens, vel Deficiens. Termini

Terminus *Excedens* est, qui significat aliquid quod entitate sua categorias superat. Estq; vel *Mysticus*; ut, omnis terminus purè Theologicus, v. gr. Christus, cœna Domini: vel *Transcendens*; ut, omnis terminus Metaphysicus, v. gr. Ens, actus, potentia: vel *Supertranscendens*, qui non tantum enti reali positivo, sed etiam enti rationis, & non-enti, verè tribui potest; ut, Imaginabile, cogitabile.

Terminus *Deficiens* est, qui significat aliquid quod ob entitatis debilitatem, aut nullitatem, est infra categorias; uti sunt Ficta, Privationes, Negationes, Notiones secundæ.

Respectu *Modi significandi*; Terminus significans est I. *Significativus* vel *naturaliter*, cui suâ naturâ convenit, ut hoc aut illud significet; ut est omnis terminus mentalis, e. gr. conceptus hominis, equi: vel *ex impositione*, cui convenit ex placito, quod hoc aut illud significet; ut est omnis terminus vocalis, & scriptus.

II. *Significativus* vel *formaliter*, qui sine cognitione sui nos in cognitionem rei ducit; ut est iterum omnis terminus mentalis: vel *instrumentaliter*, qui præviâ sui cognitione, nos in cognitionem rei ducit; ut omnis terminus vocalis, & scriptus.

III. *Proprius*, qui sine tropo significat aliquid,

quid; ut Leo, bestiam rugientem: vel *Improprius*, qui cum tropo significat aliquid; ut Leo, crudèlem, fortem, robustum. Dicitur etiam *Translatus, Modificatus, Figuratus.*

IV. *Categorematicus*, qui se solo rem certam significat; ut Homo, cibus; vel *Syncategorematicus*, qui solùm certam significandi rationem ei cum quo jungitur, tribuit; ut *Omnis*, quidam, necessariò, celeriter: vel *Mixtus*, qui participat rationem utriusq; ; v. gr. *Nemo*, quasi nullus homo, *Nihil*, q. nulla res.

V. *Abstractus*, qui significat præcisè formam aliquam: aut *substantialem*, seu *totalem*, ut *Animalitas*, seu *partialem*, ut *Rationalitas*; aut *accidentalem*, seu *physicam*, ut *Color*, seu *metaphysicam*, ut *Coloreitas*: vel *Concretus*, qui significat formam aliquam cum subjecto; ut *Animal*, *rationalè*, *color*, *coloratus*.

VI. *Absolutus*, qui significat aliquid uti per se stans; ut *Lapis*, *color*, *pater*: vel *Connotativus*, qui significat aliquid ut adjacens, aut inexistens alteri; ut *Lapideus*, *coloratus*, *paternus*.

VII. *Incomplexus*, cujus partes non significant aliquid totius: ut *Miles*, *villa*: vel *Complexus*, cujus partes significant aliquid totius; ut *Miles fortis*, *villa nobilis*,

VIII. *Fini-*

VIII. *Finitus*, qui determinatè rem certam significat; ut Deus, populus: vel *Infinitus*, qui significat indeterminatè quodvis aliud, præter id quod voce finitâ significatur; ut non-Deus, non populus.

IX. *Confusus*, qui rem in se determinatam, indeterminatè respectu particularium significat: ut Mons, Manus: vel *Determinatus*, qui rem particularem ita significat, ut non possit aliis, præter illam, tribui; ut Cicero, Catilina.

X. *Aquivocus*, qui significat plura diversæ naturæ; ut, cancer, fucus: vel *Univocus*, qui significat aliquid pluribus essentialiter ex æquo conveniens; ut, animal, homo: *Analogus*, qui significat aliquid pluribus inæqualiter, aut secundum prius & posterius, competens; ut Sanitas animali, cibo, colori tributa, Ens, id quod est essentialiter commune substantiæ & accidenti.

XI. *Denominativus*, qui significat concretum accidentale: ut Prudens, robustus: vel *Denominatus*, qui significat subjectum ab accidente quodam appellatum; ut Animus prudentiâ, corpus robore præditum: vel *Denominans*, qui significat accidens, à quo subjectum appellatur; ut Prudentia, robur.

COL

COLLATE CONSIDERATUS, est

I. *Adequatus*, qui cum alio convertitur; ut homo-rationalis-risibilis: Vel *Inadequatus*, qui cum alio non convertitur; ut, animal-homo-petrus.

II. *Excedens*, qui latitudine suâ superat alium; ut, Virtus resp. fortitudinis: Vel *Excessus*, qui latitudine superatur ab alio; ut, Fortitudo resp. virtutis.

III. *Magis Communis*, qui plura significat altero; ut *Habitus moralis* resp. virtutis: vel *minus communis*, qui pauciora significat altero; ut, Virtus resp. habitus moralis.

IV. *Repugnans*, qui universaliter de alio negari potest, aut debet; ut brutum-homo, virtus-vitium: Vel *non-repugnans*, qui de alio affirmari potest; ut brutum-bipes, virtus-æstimabile.

V. *Pertinens*, qui facit ad alterum inferendum, aut negandum. Indeque, talis est, vel *sequela*, seu *Mutuâ*, si termini sunt convertibiles, e. gr. Deus & spiritus infinitus: seu *non mutuâ*, si termini sunt magis & minus communes, ex gr. Spiritus & Deus: Vel *Impertinens*, qui non facit ad alterum necessario vel inferendum, vel negandum, uti sunt qui significant subjectum & accidens commune, v. gr. caput & rotundum: aut accidentia, quæ

B idem

idem subjectum habent, v. gr. calidum & sic-
cum, album & dulce.

SECTIO II. DE TERMINO SIGNATO.

TERMINUS SIGNATUS est, qui *Termino signati* signam e significatur, ut objectū ab actu simplicis apprehē-
sionis intellectūs, sub habitudine rationis, denominatum.

Estq; Terminus signatus vel Ineptus, vel
Aptus; ad finem Logicæ consequendum.

MEMBRUM I. DE HOMONYMIS,
SYNONYMIS & PARONYMIS

in Ratione Formali spectatis.

Terminus Ineptus, sunt *Homonyma*. Propter-
ea quod nil certi, sed plura simul, & quidem
ambiguè, significant.

HOMONYMA dicuntur, quorum nomen
solum est commune, ratio substantia verò secundum
illud nomen, diversa.

Suntq; vel casualia, vel deliberata. Seu,
à Casu, vel à Consilio.

Casualia sunt, quæ citra causam ullam, ha-
bent commune nomen. E. gr. cum justitiam
& offam, *jus*; paxillum & regimen, *clavum*
dicimus.

Deliberata sunt, quæ propter certam ali-
quam causam, habent commune nomen.
Suntq; Pura, vel Analogæ.

Pura sunt, quibus idem nomen impositum
est, ob causam in imponente sitam.

Suntq; vel à *memoria*: vel à *spe*: vel ab *amore*:

vel ab honore. V. gr. Si filium appellas *Iohannem*, vel in memoriam patruelis, avi, proavi; vel quia speras, ipsum fore gratiosum; vel in honorem susceptoris è baptismo, Principis aut patroni tui.

Analogæ sunt, quibus idem nomen impositum est, ob rationem in ipsis rebus inventam. Suntq; vel relationis, vel comparisonis.

Analogæ Relationis sunt, quæ significantur eodem nomine, propter ordinem inter ipsa. Suntq; vel ab uno, vel ad unum.

Ab uno sunt, quorum nomen est commune, quatenus ab aliquo principio dependent. E. gr. *Medicum*, à medicina, vel etiam ab homine medicinam exercente, translatum ad librum, consilium, emplastrum, scalpellum, forpicem.

Ad Unum sunt, quorum nomen est commune, quatenus ad finem aliquem ordinantur. E. gr. *Sanum*, prius Animalis competens, ad cibum, medicinam, diætam, deambulationem, uti causam procreantem, aut conservantem; lotium, sudorem, pulsum, colorem, uti signum, indicans aut promittens sanitatem, in animali formaliter existentē, translatum.

Analogæ Comparisonis sunt, quæ significantur eodem nomine, propter mutuam affinitatem inter ipsa. Suntq; vel similitudinis, vel proportionis.

Analogia Similitudinis sunt, quæ commune nomen habent, ob conformitatem unius ad alterum.

Suntq, vel à *forma*; cum similitudo datur in externa specie: V. gr. cum animal hinniens, & ejus pictura, dicitur *Equus*. Vel ab *actione*; cum similitudo datur in effectis, aut operatione: v. gr. cum Imperator quidam, proprio nomine vocatur *Nero*, Princeps autem crudelis, aut alius in crudelitate cum ipso conveniens, venit eodem nomine.

Analogia Proportionis sunt, quæ commune nomen habent, ob aliquam proportionalitatem. Suntq, *Propria*, vel *Impropria*.

Propria sunt, quando nomen omnibus in propria significatione competit; v. gr. cum *Principium* esse, de corde, fonte, puncto, dicitur. *Impropria*, quando nomen uni propriè tribuitur, alteri per tropum; v. gr. cum *Risus*, actus homini propriè conveniens, ad cælum serenum, aut pratium floridum, transfertur.

Fuit *Terminus Ineptus*; *Terminus Aptus*, est vel incomplexus, vel complexus.

Terminus Incomplexus est, qui constat uno tantum conceptu. Estq, consentaneus, vel dissentaneus.

Terminus Consentaneus, sunt partim *Synonyma*, partim *Panonyma*. Quæ spectari possunt, cum

in præcissione formali, tum in applicatione materiali.

In *Præcissione Formali*;

SYNOMYMA sunt, quorum uti nomen est commune, sic etiam ratio substantiæ, secundum illud nomen, eadem.

Clarius; *Synonyma* sunt termini consentanei, qui sese respiciunt essentialiter. Aut; sunt *Consentanea*, quorum alterum alterius essentialiter constituit.

Suntq; I. vel *Participantia*, vel *Participata*. *Synonyma Participantia* sunt, quibus idem nomen, & eadem ratio substantiæ, per nomen illud significata, convenit essentialiter.

Participata, quæ juxta nomen, & rationem substantiæ, per nomen significatam, aliis conveniunt essentialiter.

Suntq; vel *latiora*; quæ non convertuntur: ut, Spiritus & corpus resp. Substantiæ. Vel *æqualia*, quæ convertuntur: ut, animal & sensitivum.

II. *Univoca*, vel *Analogæ*.

Univoca sunt, cum ratio substantiæ pluribus convenit æqualiter, & sine dependentia participantis unius ab altero. Dicuntur etiam *Synonyma Primaria*, *Perfecta*, *Exquisita*.

Suntq; vel per omnimodam convenientiam, vel per inæqualem differentiam.

Univoca per omnimodam convenientiam sunt, ubi natura communis æquè primò participata, differentiis æquè dignis limitatur. Quomodo Pyrus & pomus, naturam *Arboris*, Ignis & aer, naturam *Elementi*, participant.

Univoca per inaequalem differentiam sunt, ubi natura communis æquè primo participata, differentiis non æquè dignis limitatur. Quomodo stirps & animal *corpus vivens*, brutum & homo, naturam *animalis*, participant, differentiis nobilioribus & ignobilioribus contractam. Vocantur etiam *Synonyma per Analogiam inaequalitatis*.

Analogia sunt, cum ratio substantiæ pluribus convenit inæqualiter, aut saltem cum dependentia participantis unius ab altero. Dicuntur etiam *Synonyma Secundaria*, *Imperfecta*, *Minus exquisita*.

Suntq; vel secundum *Perfectionem*, vel secundum *Inclusionem*.

Analogia secundum Perfectionem sunt, ubi ratio substantiæ communis, intrinsecè participata, per exsuperantiam, ac omnibus numeris est in uno, reliquis autem imperfectiori modo convenit. Ut, *Ens* ad substantiam & accidens, relatum.

Analogia secundum Inclusionem sunt, ubi ratio substantiæ communis, essentialiter participa-

ta,

ta, sic convenit, ut unum participans ingrediatur constitutionem alterius participantis. Ut Magnitudo respectu lineæ, superficiei, corporis; lineæ namq, superficiei, superficiei corporis constitutionem, quasi materialiter ingreditur.

PARONYMA sunt, quæ ab alio, à quo casu differunt, nominis appellationem habent.

Clarius; Paronyma sunt termini consentanei, qui sese respiciunt non-essentialiter. Aut; sunt consentanea, quorum alterum alterius essentiam non constituit.

Suntq, I. respectu Requisite, vel secundum rem & vocem simul, vel secundum rem tantum.

Paronyma secundum rem & vocem simul sunt, quæ deducuntur ab alio, ratione cum vocis, tum significationis, solâ finali terminatione diversâ. V. gr. bonus à bonitate, dives à divitiis, tenebrosus à tenebris.

Paronyma secundum rem tantum sunt, quæ deducuntur ab alio ratione significationis, voce profus diversâ. V. gr. Probus, aut honestus, à virtute, dormiens à somno, somnolentus à pigritia.

Quidam addunt Paronyma secundum vocem tantum, quæ deducuntur ab alio ratione vocis,

significatione prorsus diversâ. V. gr. *curiosus* à cura, *vinosus* à vino, *somnolentus* à somno.

II. Respectu *Dignitatis*, ex inæquali participatione *Requisitorum*: vel *Primaria*, vel *Secundaria*.

Paronyma Primaria sunt, quæ simul significationis, & dictionis dependentiam habent ab alio, per quod denominant subjectum. E. gr. *Lucidus* à luce, *princeps* à principatu.

Paronyma Secundaria sunt, quæ quidē significationis, sed nō una dictionis dependentiam habēt ab alio, per quod denominant subjectū.

Eaq; partim *cum nullo vocum consensu*: propter formam denominantem, aut *innominatam*; ut *Inclytus*: aut *nominatam*, sed *diversâ voce*, v. gr. *dormiens* à somno. Partim *cum omnimodo vocum consensu*; v. gr. *musica mulier*, à musica scientia, *logica mulier*, à logica disciplina, dicta.

III. Respectu *Formæ denominantis*, in se suâq; naturâ spectatæ: vel *substantialia*, vel *accidentalialia*.

Paronyma substantialia sunt, quæ nominis appellationem habent ab aliqua substantia. V. gr. *Lapidens* à lapide, *ligneus* à ligno.

Accidentalialia, quæ nominis appellationem habent ab aliquo accidente. V. gr. *gratus* à gratitudine, *modestus* à modestia.

IV. Re-

IV. Respectu *Cadentia forma denominantis* ad subjectum : vel *intrinseca*, vel *extrinseca*.

Paronyma Intrinseca sunt, cum formale significatum inexistit rei denominatæ. V. gr. *Calor* in liquore vel aere calido, *frigus* in aere vel solo frigido.

Extrinseca, cum formale significatum non inexistit rei denominatæ, sed est in alio quopiam subjecto; v. gr. *visio* denominans parietem, lapidem, hominem visum.

V. Respectu *Nexus & habitudinis forma denominantis ad subjectum*; vel *necessaria*, vel *contingentia*.

Paronyma Necessaria sunt, quæ respectum immutabilem habent ad denominatum. E. gr. *Risibilitas* resp. hominis, *albedo* respectu lactis.

Contingentia, quæ respectum mutabilem habent ad denominatum. E. gr. *macies*, aut *pinguedo* resp. corporis humani, *ruditas* aut *eruditio* resp. mentis.

VI. Respectu *Subjecti denominati* : Vel *determinata*, vel *indeterminata*.

Paronyma determinata sunt, quæ certum habent subjectum, quod afficiunt, & sine quo, nec intelligi, nec definiri possunt. V. gr. *Simum*, respectu nati, *claudum* resp. pedis. Vocantur etiam *Paronyma limitata*.

B 5

Inde

Indeterminata, quæ varia subjecta promiscuè respiciunt, & denominant. V. gr. rectum, curvum, album, dulce. Vocantur etiam *Paronyma illimitata*.

VII. Respectu *Latitudinis ad subjectum*: vel inæqualia, vel æqualia.

Paronymia Inæqualia sunt, quæ subjectis suis vel latiora sunt, vel angustiora. V. gr. *nigrum*, aut *doctum*, resp. hominis.

Æqualia, quæ cum subjectis suis convertuntur in prædicando. V. gr. *visibile*, *stabile*, *disciplina capax*, resp. hominis.

MEMBRUM II. DE SYNONYMIS & PARONYMIS EXTRAPRÆDICAMENTALIBUS.

Atq, tantum de Synonymis & Paronymis in ratione formali consideratis; Eadem ad diversos rerum gradus applicata, sunt vel Extrapredicamentalia, vel Prædicamentalia.

EXTRAPRÆDICAMENTALIA sunt, ubi respectus essentialis, & non-essentialis, iis competit, quæ sunt extra categorias. Suntq, vel excedentia, vel deficientia.

EXCEDENTIA, dantur in iis rebus, & conceptibus, quibus conditiones prædicamentales exactè non conveniunt, sed respiciunt omnem imperfectionem, in aliis synonymis.

mis & paronymis vulgaribus occurrentem. Hinc etiam *suprapradicamentalia* dici possunt.

Suntq; vel *Eminentia*, propter entitatis singularitatem: vel *Transcendentia*, propter entitatis communitatem.

EMINENTIA sunt, in rebus & conceptibus mysticis. Vocantur etiam *Inusitata*. Sic *Deus* est synonymum *eminens*, ad Patrem, Filium, Sp. Sanctum: Paronymum *eminens*, ad hominem, in propositione personali, *Deus* est homo.

TRANSCENDENTIA sunt, in rebus & conceptibus metaphysicis. Sic *Ens* ad substantiam & accidens, est synonymum: *Unum, verum, bonum*, ad *Ens*, paronymum.

DEFICIENTIA sunt in iis, quæ consistunt infra categorias; ob entitatis debilitatem, aut nullitatem. Sic synonymum est, *Tropus* ad metonymiam, metaphoram, *Carentia* seu *Defectus* ad cæcitatem, tenebras, *non-Deus* ad *Jovem*, neptunum. Paronymum, *Paupertas* ad hominem, *Genus* ad animal; & ita porro.

MEMBRUM III. DE PRÆDICABILIBUS.

PRÆDICAMENTALIA sunt, ubi respectus essentialis, & non-essentialis, iis
com-

competit, quæ spectant ad certam aliquam categoriam.

Ea^q, *considerantur* vel *seorsim*, in Prædicabilibus; vel *conjunctim*, in Prædicamentis.

PRÆDICABILIA consideranda sunt ratione tum fundamenti, tum sui.

Fundamentum Prædicabilem, est Individuum.

INDIVIDUUM est, quod aptum natum est *subjici prædicabilibus*. Aut; quod non potest dici de multis, sed sub specie positum, uni soli particulari tribuitur.

Est^q, *consideratum*, I. *Quidditative*: vel *Substantiale*, quod pertinet ad categoriam Substantiæ, tanquam ens per se subsistens; ut *Alexander*, Bucephalus. Vel *Accidentale*, quod pertinet ad categoriam alicujus Accidentis, tanquam aliquid inexistens subjecto; ut *hæc linea*, virtus hectoris.

II. *Correlative*; vel *Genericum*, quod generi proximè substat. Ut, hoc corpus, hæc superficies. Vel *Specificum*, quod speciei proximè substat. Ut, Abraham, hic homo.

III. *Enunciative*: determinatum, vel indeterminatum.

Determinatum est, quod distinctè significati. Est^q, vel simplex, quod unâ voce; vel *conjunctum*, quod pluribus vocibus effertur.

Simplex, est vel nominativum, vel dignativum.

Nomina

Nominativum est, quod nomine proprio significatur: hinc etiam *individuum Proprium* aliàs dicitur. Ut, *Iupiter, Venus, Adam Eva, Regiomontum, Bregela.* *Dignativum* est, quod exprimitur termino communi, singulariter accepto, propter eminentiam ejus quod significatur. Dicitur etiam *appellativum, antonomasticum, synecdochicum.* Ut, *Apostolus pro Paulo, Poëta pro Virgilio.*

Conjunctum est vel demonstrativum, vel circumscriptivum, vel suppositivum.

Demonstrativum est, quod exprimitur termino communi, cum pronomine demonstrativo conjuncto. V. gr. *hic homo, iste lapis.*

Circumscriptivum est, quod effertur pluribus verbis, officium aliquod, aut factum, aut aliud quid, quod certo singulari proprium est, significantibus. Ut, *Redemptor generis humani, pro Christo, Carthaginis everlor, pro Scipione.*

Suppositivum est, quod exprimitur termino communi, supponendo, non nisi rem unam ejusmodi, quæ termino communi significatur, dari. V. gr. *Filius Mariæ virginis, pro Christo, Filius Zachariæ sacerdotis, pro Johanne Baptista.*

Indeterminatū est, quod confusè significatur. Et hinc etiam *Individuum Vagum* aliàs vocatur; cū res singularis exprimitur termino com-

communi, præfixum habente pronomen
 Quidam, aut Aliquis. Ut quoddamens, ali-
 qua substantia.

Ratione SUI, Prædicabilia consideranda
 sunt partim generaliter, partim specialiter.
 Et quidem *Generaliter*, potissimum penes De-
 finitionem, Causas, Divisionem.

Definitio talis esse potest; Prædicabilia sunt
 notiones *secundæ simplices*, ostendentes *quanam res,*
in prædicamentis disposita, de pluribus ordine natura-
 li verè dici possint.

Causa quadruplex occurrit. I. *Materialis*; res
 prædicabilitati substratæ. Quarum *Con-*
ditiones sunt; Prædicamentalitas: Unitas:
 Aptitudinalitas pluribus conveniendi: Di-
 visibilitas in plura sibi subiecta: Multiplica-
 bilitas juxta multitudinem inferiorum.

Et harum respectu possunt ita defini: *Præ-*
dicabilia sunt, quæ certæ categoriæ subiecta,
 secundum unam naturam, de pluribus divi-
 sim & cum sui multiplicatione, dici possunt.

II. *Formalis*; ipsa Prædicabilitas, ratione
 cujus, prædicabili convenit aptum esse de
 pluribus dici. Quæ nil aliud, quàm externa
 proprietas alicujus naturæ, per intellectum
 præcisæ, resultans ab actu mentis nostræ, na-
 turam illam apprehendentis, ut non repu-
 gnantè de pluribus, in quibus multiplicetur,
 dici posse.

III. *Effi-*

III. *Efficrens*; *Principalis* quidem, Porphyrius: *Occasionalis*, Chrysaorius; qui Romæ degens, ab illo, tanquam præceptore suo, tunc apud Libybæum, Siciliae promontorium, ut ignem Aetnae describeret, commorante, per literas obtinuit, Introductionem ad Categorias Aristotelis, Prædicabilia sistentem.

IV. *Finis*; *Primus* quidem, est directio simplicis apprehensionis intellectus nostri, circa res singulas, ad certam aliquam categoriam spectantes. *Ortus*, partim apprehensivus, partim iudicativus, partim argumentativus.

Apprehensivus, est circa *Prædicamentorum ordinationem* in longum & latum; quippe singula prædicamenta coalescunt, penes longitudinem, ex generibus, speciebus, ac individuis, penes latitudinem, ex differentiis. Habent etiam singula, certas proprietates, contradistinctas accidentibus, tanquam attributis communibus. Et circa *Definitionum ac Divisionum præcipuarum formationem*: quatenus in *Definitione* perfecta, *Definitum* est species, & definitionis partes sunt genus & differentia, vel etiam loco differentiae, nonnunquam proprium, imò nonnunquam congeries accidentium. In *Divisione* verò, *Divisum* est vel genus, quod per differentias in species, aut species in individua, proprietates, accidentia sua, distribuitur.

Iudi-

Judicativus, circa Propositionem : quæ res creatas concernens, affirmativè dispositas, in Prædicabilia tandem resolvitur, ut ipsarum habitudo constet.

Argumentativus, circa Demonstrationem : quatuor subjectum hujus est aut genus, aut species, aut etiam individuum, Attributum verò, proprium, & non accidens, Medium deniq;, subjecti vel attributi definitio; quæ rursus comprehendit genus & differentiam specificam, aut proprium, hujus loco positum.

Diviso quinq; Prædicabilia suppeditat : quæ sunt, *Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens*. EX quibus *tria priora*, sunt prædicabilia *Synonymica*, modum Essendi; *duo posteriora, Paronymica*, modum Inessendi, sistunt.

Nempe *Genus* exprimit modum Essendi partialem, quasi materialem; *Differentia*, modum essendi partialem, quasi formalem; *Species*, modum essendi totalem. *Proprium* modum Inessendi convertibilem: *Accidens*, inconvertibilem.

Eaq;, considerantur partim absolutè, seu secundum sese: partim *collatè*, seu inter sese. Priori consideratione;

GENUS est, quod de pluribus specie differentiis in quid prædicatur.

Estq;

Estq; I. vel *Summum*, quod nullum supra se genus aliud habet: ut, *Substantia*, *Quantitas*, *Qualitas*. Vel *Subalternum*, quod ita respectu suorum inferiorum genus est, ut adhuc aliud supra se genus habeat, cujus respectu species existit. E. gr. *corpus*, animal, brutum, in categoria substantiæ, *Virtus* aut *vitium*, in categoria *Qualitatis*.

II. Vel *Medium*, quod & supra se genus habet, & infra se species subalternas. V. gr. *corpus*, in categoria substantiæ, *Potentia naturalis*, in categoria *Qualitatis*. Vel *Ultimum*, quod supra se quidem genus habet, sed infra se tantum species specialissimas. E. gr. *brutum* in categoria substantiæ, *virtus moralis* in categoria *Qualitatis*.

III. Vel *Remotum*, quod interveniente genere propinquiori de specie prædicatur mediatè. V. gr. *animal* de cane: nam interjacet *bestia*. Vel *Proximum*, quod nullo quodam alio interposito, de specie prædicatur immediate. V. gr. *brutum* resp. canis, bovis, leonis.

IV. Vel *Univocum*, quod de subjectis speciebus prædicatur æqualiter, & sine dependentia speciei minus principalis à principaliori. V. gr. *metallum* ad aurum, argentum & latum, *Animal* ad hominè & bestiam. Vel

Analogum, quod de subjectis speciebus prædicatur inæqualiter, & cum dependentia speciei minus principalis à principali. V. gr. *Amicitia* de amicitia honesta, utili, jucunda.

SPECIES est, quæ generi subjecta, de pluribus numero differentibus, in quid prædicatur.

Estq; I. vel *Subalterna*, sub qua collocantur adhuc aliæ species; indeq; species respectu superioris, aut inferioris respectu, genus existit. Ut, *Animal* respectu viventis, tanquam superioris, & bestię, tanquam inferioris sui. Vel *Specialissima*, sub qua proximè sunt individua; proindeq; species est, & manet, etiam cum ad inferiora refertur. Ut, *homo*, canis, leo.

II. Vel *Suprema*, quæ proximè subjacet generi generalissimo. V. gr. *Spiritus*, & corpus resp. substantiæ: vel *Media*, quæ supra se genus subalternum habet, & sub se species alias, de quibus iterum uti genus prædicari potest. Ut *Elementum*, stirps, animal, brutum, in categoria Substantiæ.

III. Vel *Univoca*, quæ naturam generis cum opposita specie sua, participat æquè primò. V. gr. brutum & homo, resp. *animalis*. Vel *Analogia*, quæ naturam generis, cum opposita specie, participat inæqualiter, & cum dependentia speciei minus principalis à principali. V. gr. amicitia honesta, utilis & jucunda, resp. *amicitiæ*.

IV. Vel *Subjicibilis*, quat. substat generi:
vel *Prædicabilis*, quat. tribuitur individuis, sibi
subjectis. Attamen species subjicibilis, quæ
talis, non est verum prædicabile.

DIFFERENTIA est, qua de pluribus specie,
vel numero differentibus, in quale quid prædicatur.

Estq; I. Vel *Divisiva*, quæ genus dividit,
potestatem ejus limitando. V. gr. *Simplex* &
mixtum, corpus; *Rationis compos* & *expers*,
animal. Vel *Constitutiva*, quæ speciem con-
stituit, ipsi proprium esse dando. V. gr. *Ra-
tionis compos*, hominem; *Rationis expers*, bru-
tum.

II. Vel *Generica*, quæ dividit genus me-
dium, & constituit speciem subalternam:
indeq; prædicatur de pluribus specie diffe-
rentibus. V. gr. *sensitivum*, dividens corpus
vivum, & constituens animal. Vel *specificæ*,
quæ dividit genus ultimum, & constituit
speciem specialissimam: indeq; prædicatur
de pluribus numero differentibus. V. gr. *Ra-
tionale*, dividens animal, & constituens ho-
minem.

Quidam addunt differentiam Numeri-
cam: Sed ea non est verum prædicabile,
quia non potest dici de multis in quibus mul-
tiplicetur, sed competit uni soli singulari.

C 2

III. Vel

III. Vel *Superior*, qui constituit speciem magis universalem. E. gr. *vivens* resp. *sentiens*. Vel *Inferior*, qui constituit speciem minus universalem. E. gr. *Sentiens* resp. *viventis*.

PROPRIUM est, quod de pluribus specie, vel numero differentibus, predicatur in Quale convertibiliter.

Estq, *distinctivè*: Vel *Primi Modi*, quod competit soli, sed non omni, nec semper. E. gr. *logicum*, *consulem*, *militem esse*, resp. *hominis*. Vel *Secundi Modi*, quod competit omni, sed non soli. V. gr. *caput*, aut *pedes habere*, resp. *canis*, *leonis*, *hominis*. Vel *Terti Modi*, quod competit omni, & soli, sed non semper. E. gr. *florere* resp. *pyri*, *pomi*. Vel *Quarti Modi*, quod competit omni, soli, semper. E. gr. *Risibile*, *disciplinæ capax*, resp. *hominis*.

II. *Divisivè*: I. Vel *Genericum*, quod essentiam generis consequitur, & pluribus specie differentibus est commune. V. gr. *sensitivum*, *appetitivum*, *locomotivum*, uti proprium animalis, homini, & bruto competens: Vel *Specificum*, quod essentiam speciei consequitur, & pluribus numero differentibus est commune. V. gr. *risibile*, *disciplinæ capax*,
admi-

admirativum, uti proprium hominis, Petro, Paulo, Mariæ competens.

II. Vel *Simplex*, quod exprimitur sine disjunctione. V. gr. *larrare* resp. canis, *mugire* resp. bovis. Vel *Conjunctum*, quod exprimitur cum disjunctione. V. gr. *Par* aut *impar*, resp. numeri, Simile vel dissimile, resp. Qualitatis.

III. Vel *Inhasivum*, quod secundum intrinsicam rationem & essentiam suam est accidens, uni, soli, semper, inexistens. E. gr. *rugibile* resp. leonis, *risibile* resp. hominis. Vel *Predicativum*, quod non secundum intrinsicam rationem & essentiam suam est accidens, sed proprium, secundum extrinsecam attributionem, audit; quales sunt conditiones essentielles, E. gr. *corpus organicum habere*, resp. viventis, ex materia & forma constare, resp. corporis naturalis.

IV. Vel *Physicum*, quod est qualitas, à subiecto realiter distincta, cujus essentiam ex parte rei, tanquam effectus per emanationem, consequitur; e. gr. *Risibilitas* resp. hominis. Vel *Metaphysicum*, quod est conceptibilitas, non realiter ab essentia rei, cui tribuitur, distincta, sed solum intellectu nostro, tanquam essentielle consequens, apprehensa. V. gr. *Verum*, bonum, necessarium aut con-

tingens, resp. Entis; Æternitas, Omnipotentia, resp. Dei.

ACCIDENS est, quod de pluribus specie, vel numero differentibus, predicatur in *Quale*, non-convertibiliter,

Estq; I. Vel *Separabile*, quod à subjecto suo facile se jungi potest; E. gr. calor ab aqua, frigus ab aere: vel *Inseparabile*, quod à subjecto suo difficulter, aut etiam nullo modo se jungi potest, E. gr. *nigredo* ab Æthiope, corvo, albedo à lacte, nive.

II. Vel *Universale*, quod toti speciei competit, atq; sic omnibus individuis ejus, E. gr. *nigredo* resp. corvi: vel *Particulare*, quod non toti speciei competit, sed tantum certis individuis. E. gr. *simum*, resp. nasi.

III. Vel *Physicum*, quod non solum resp. subjecti, sed etiam penes intrinsecam naturam suam, accidens est. E. gr. *gravitas*, resp. lapidis aut ferri: Vel *Logicum*, quod respectu subjecti quidem accidens est, sed in essentia sua spectatum, substantia. V. gr. *stannum*, vel *stanneum*, resp. canthari, disci.

Sic fuerunt Prædicabilia, penes sese; *Collatè considerata*, communitatem, & proprietatem habent: utramq; generalem, vel specialem.

Generalis Communitas Prædicabilium est, quâ

quâ conveniunt penes aptitudinē prædicandī de pluribus: *Proprietas*, quâ genus & species, in Quid, differentia in Quale quid, proprium & accidens, in Quale, prædicatur.

Specialis est, quam habet, I. *Genus*, ad Differentiam, Speciem, Proprium & Accidens. II. *Differentia*, ad Speciem, Proprium, & Accidens. III. *Species*, ad Proprium & Accidens. IV. *Proprium*, ad Accidens. Quas collationes, Porphyrius in *Isagoge* sua, prolixè tractat.

MEMBR. IV. DE PRÆDICAMENTIS.

Hactenus Prædicabilia; PRÆDICAMENTA sunt classe: *generum & specierum*, sub aliquo genere summo. Vel; Sunt classes subiectibilium & prædicabilium, rerum creatarum, sub summis generibus, in longum & latum ordinatæ.

Quorum attendenda, partim Constitutio, part. Divisio.

Constitutio, materiam & formam concernit. Suntq; Prædicamentorum *Materia Remota*, res quæ ponuntur in prædicamentis; directè, vel indirectè.

Directè, quæ sunt ens reale positivum, per se, finium, & completum: *Indirectè*, quæ sunt ens incompletum, aggregatum, concretum,

artefactum, complexum. Item ens privativum.

Sed *proffus excluduntur* à Prædicamentis, Ens infinitum, nempe Deus, Transcendentia, Supertranscendentia, Syncategoremata, Æquivoca.

Materia Propinqua; primariò Prædicabilia, partim synonymica, partim paronymica: secundariò, Subjicibilia.

Forma consistit partim in Gradu, part. in Modo, quo res sunt in ipsis.

Gradus est dispositio, quam habent res in serie prædicamentali.

Qui vel *Rectus*, quo rectà procedimus in categoriis; isq, tum *Descendens*, quo rectà tendimus à generibus ad species, & ab his ad individua: tum *Ascendens*, quo rectà tendimus ab individuis ad species, & ab his ad genera. Vel *Obliquus*, quo differentia, genera dividentes, & species constituentes, ad latera ponuntur; hinc etiam gradus *Collateralis*, aliàs vocatur.

Modus est ratio, secundùm quam res sunt in prædicamentis. Isq, *Directus*, vel *Indirectus*.

Modus Directus est, quo res sunt in categoriis directè: *Indirectus*, quo res sunt in categoriis indirectè. Quænam verò sint res tales, antea dictum est.

Ad

Ad materiam & formam Prædicamentorum faciunt non parùm Divisiones, & Regulæ; quas antepredicamentales vocant, quod eas Aristoteles categoriis præmittat.

DIVISIONES; sunt eorum quæ dicuntur, & eorum quæ sunt.

Eorum quæ dicuntur, sunt quædam Complexa, quædam Incomplexa; partim voce tantùm, Ut naturalis amor erga liberos, mundus: partim re tantùm, Ut formosus, corpus vivum sentiens: partim voce & re simul, Ut homo doctus, scientia.

Eorum quæ sunt, alia de subiecto dicuntur, sed in nullo subiecto sunt: alia sunt in subiecto, sed de subiecto nullo dicuntur: alia de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt: alia nec in subiecto sunt, nec de subiecto dicuntur.

H. e. Quicquid est in categoriis, aut ad eas spectat, est vel substantia, vel accidens. Et utrûq; vel universale, vel singulare. Nam in subiecto, non est substantia, sed accidens: de subiecto, non singulare, sed universale, dicitur.

REGULÆ sunt, I. *Homogeneorum*; Cum alterum alteri tribuitur, tanquam subiecto, quæcunq; de attributo dicuntur, etiam de subiecto dicuntur.

C §

II. He-

II. *Heterogeneousum*; quorum alterum sub altero non collocatur, diversæ speciei sunt differentiae.

III. *Subalternorum*; nil prohibet easdem esse differentias.

Divisiones, concernunt *materiale Prædicamentorum*; quod ad categoriam directè spectans, debet esse quid incomplexum, vel voce & re simul, vel re tantum: Et quidem, vel substantia, vel accidens.

Regulae concernunt *formale Prædicamentorum*; Prima, *gradum rectum*: Secunda, *gradum indirectum*, quoad differentias *divisivas*: Tertia, *gradum indirectum*, quoad differentias *constitutivas*.

Divisio, decem Prædicamenta suppeditat, unum *Substantia*; novem *Accidentis*: quod vel absolutum, ut *Quantitas* & *Qualitas*, vel Respectivum, ut *Relatio*, vel absoluto respectivum, cum primarium, ut *Actio*, & *Passio*, tum secundarium, ut *Ubi*, *Quando*, *Situs*, *Habitus*.

Series singulorum, quam *Arborem prædicamentalem*, ob similitudinem quam habent cum arbore naturali, vocant, hæc esto.

SUBSTANTIA, est vel immaterialis, ut *Spiritus*: vel materialis, ut *Corpus*.

Spiritus, est vel completus, ut *Angelus*: vel incompletus, ut *Anima separata*.

Sub

*Sub illo, sunt proximè vel individua, vel ad-
huc aliæ species: sub hac, tantum Individua.*

Corpus est vel simplex, vel mixtum.

*Corpus Simplex, est vel alienum à mixtione,
ut Cælum, & Stella: vel ordinatum ad mixtio-
nem, ut Elementa: quorum calidissimum, Ignis;
humidissimum, Aer; frigidissimum, Aqua;
siccissimum, Terra.*

*Corpus mixtum, est vel imperfectè, vel per-
fectè mixtum.*

*Corpus imperfectè mixtum, est vel pri-
mum, ut Exhalatio; partim siccior, ut Fumus, part-
humidior, ut vapor: vel ortum, ut Meteorum;
& Systaticum & emphaticum,*

*Meteorum Systaticum, est vel igneum, ut
Cometa, fulmen, &c. Vel aereum, ut ventus, ter-
ramotus: vel aqueum, ut nubes, pluvia, &c. vel
terreum, ut Fila S. virginis.*

Emphaticum, sunt Chasma, Parelus, Iris, Aurora, &c.

*Corpus perfectè mixtum, est vel inanima-
tum, vel animatum.*

*Inanimatum, est Minerale. Quod vel Metal-
lum, ut Aurum, Argentum, &c. vel Lapis, cum
vulgaris, ut Tophus, Silex, &c. tum pretiosus,
ut Adamas, Smaragdus, &c. vel Succus concre-
tus, ut Sal, alumen, &c. Vel Terra pretiosa, ut
Bolis armenus, terra Samia, &c.*

*Animatum, est vel vicens, ut Planta: vel sen-
tiens, ut Animal.*

Plan-

Planta, est vel mera; partim imperfecta, ut Fungus, tuber, &c. Partim perfecta; qua vel Arbor, ut Pyrus, pomus, &c. Vel Frutex, ut Avellana, Sambucus, &c. Vel Suffrutex, ut Ruta, rosmarinus, &c. Vel Herba; qua tum flos, tum gramen, diverse speciei. Vel quasi milia, ut Zoophyta, v. gr. arbor pudica, urtica marina.

Animal, est vel rationale, ut Homo; sub quo proximè sunt individua, Petrus, Iohannes, Maria: vel irrationale, ut Brutum; quod vel perfectum, part. volatile, ut Avis: qua Cygnus, aquila, &c. part. Natatile, ut Piscis: qui Salmo, perca, &c. part. gressile, ut Quadrupes; quod Equus, bos, &c. part. reptile, ut Serpens, & vermis: qui lumbricus, &c. Vel imperfectum, ut Insectum; quod pulex, scarabeus, &c.

QUANTITAS est vel propriè dicta, vel analogà.

Quantitas Propriè dicta est continua, ut Magnitudo: vel discreta, ut Multitudo; seu numerus.

Magnitudo, est vel Unius dimensionis, ut Linea: vel duarum, ut Superficies: vel trium, ut Corpus. Quae per differentias accidentales variè porro dividuntur. Multitudo, seu Numerus, est par, vel impar: Simplex vel compositus: digitus, vel articulus, vel conjunctus, &c.

Quantitas Analogà, respondet quantitati propriè tali, partim continuæ; tum permanens, ut

Locus,

Locus, tum fluens, ut Motus, & Tempus: partim discretæ, ut Oratio.

QUALITAS est, part. potentialis, cum introducta, ut Habitus, & dispositio; tum innata, ut Potentia & impotentia naturalis: partim actualis, cum efficiens, ut Qualitas Paribilis & passio, tum conformans, ut Figura & forma.

Habitus, est vel insitus, part. concreatus, ut Integritas primorum hominum, part. connatus, ut Morbi quidam hereditarii; part. alio modo collatus, ut ars Bezeelis, conficiendi tabernaculum, lumen prophetiæ, fides, spes, charitas.

Vel acquisitus; & corporis, ut sanitas per medicinam obtenta, celeritas scribendi, curvendi, saltandi: & animæ, partim quoad intellectum, ut cum Verus, aut perfectus, cum principalis, seu theoreticus, ut Intelligentia, Scientia, Sapientia, seu practicus, ut prudentia, & Ars, tum instrumentalis, ut Logica, Rhetorica, aut imperfectus, ut Opinio, fides, dubitatio, suspicio, tum falsus, ut error, ignorantia, partim quoad appetitum, ut Virtus moralis, & vitium.

Dispositio, talis est per modum vel principii, quod aut species intentionalis, part. sensibilis, part. intellectibilis, aut habitus in fieri, quem imperfectum vocant, Totuplex quotuplex est habitus: vel terminus, ut actus immanens, qui vel cognitio, cum sensibilis, ut visio, gustatio, tum intellectibilis,

ut

ut apprehensio simplicium, discursus: vel appetitio, cum rationalis, ut volitio, tum sensitiva, ut dolor, spes, timor.

Potentia Naturalis, est vel spiritus, ut intellectus, voluntas, part. angeli, part. animæ separatae: vel corporis, & simplicis, utpote caeli, stellarum, elementorum, & mixti, cum imperfectè, nimirum exhalationum, & meteororum, tum perfectè, corporis & inanimati, nempe metallorum lapidum, succorum concretorum, terrarum preciosarum; & animati, partim generica, cum vigentium, ut vis nutritrix, auctrix, tum sentientium, ut vis cognoscitiva, nempe potentia sentiendi, cum exterior, tum interior, vis appetitiva, tam concupiscibilis, quam irascibilis, vis locomotiva, puta vis ambulandi, natandi, volandi, tam intelligentium, ut intellectus & voluntas hominis: part. specifica, singulis speciebus mineralium, plantarum, bestiarum propria.

Impotentia naturalis, est omnis imbecillitas, & ineptitudo naturalis, cuiusq. speciei corporis naturalis.

Qualitas patibilis, est vel afficiens, eaq. visibilis, ut lux & color, vel audibilis, ut sonus, vel gustabilis, ut sapor, vel olfactilis, ut odor, vel tactilis, cum prima, ut calor & frigus, humiditas & siccitas, tum orta, ut raritas & densitas, levitas & gravitas: vel effecta, part. in intellectu, ut veritas, falsitas, part. in appetitu, ut affectus, concupisci-

piscibilis, ut amor, odium, gaudium, dolor, & irascibilis, ut Spes, desperatio, timor, audacia.

Passio est vel corporis; ut pallor ex metu, vel ira, cito transiens: vel appetitus; ut omnis affectus cordis levissimus, citoq; subsidens.

Figura est vel imperfecta; ut rectitudo, curvitas, concavitas, convexitas, finitas: vel perfecta; partim simplex, eaq; seu recta, tum triangularis, tum triangulata, nempe quadrangularis, quinquangularis, &c. seu circularis: partim mixta, nimirum ex recta & circulari.

Forma est vel naturalis, rerum & inanimatarum, & animatarum, quarumcunq;: vel artificialis, in quovis artefacto; maxime varians.

RELATIO; est respectu 1. Fundamenti remoti, quae fundatur vel in Substantia, V. gr. respectus creaturarum ad creatorem suum: vel in quantitate, V. gr. paritas & imparitas, aequalitas & inequalitas: vel in Qualitate, V. gr. similitudo, dissimilitudo, contrarietas: vel in Relatione, V. gr. similitudo paternitatis, dominii: Vel in Actione, V. gr. emptio, venditio: vel in Passione, V. gr. propinquitas, & distantia: vel in Ubi, V. gr. Sursum, & deorsum: vel in Quando, V. gr. prioritas, & posterioritas, in duratione: Vel in situ, V. gr. dextrorsum & sinistrorsum: vel in Habitu, V. gr. respectus alati ad alam, similitudo galeatorum, ocreatorum.

II. Fun-

I. Fundamenti propinqui, quæ fundatur vel in Unitate; quo spectat convenientia in essentia, seu substantia, ut Identitas: in quantitate, ut equalitas: in qualitate, ut similitudo: in loco, ut propinquitas: in tempore, ut simultas in duratione. Vel in Numero; quo spectat disconvenientia, in essentia seu substantia, ut diversitas: vel in quantitate, ut Imparitas: vel in qualitate, ut dissimilitudo: vel in loco, ut distantia; vel in tempore, ut prioritas & posterioritas in duratione. Vel in Potentia; cum activâ, tum passiva; Quo spectant omnes relationes, fundamentum habentes Actionem, aut passionem, & nominatim relationes part. causarum ad effecta sua; partim effectorum ad causas suas. Vel in Mensura: qualis est commensuratio penes entitatem, perfectionem, cognitionem, &c.

III. Modi fundandi, vel naturalis, ut ordo partium universi, corporis humani, consanguinitas, affinitas, penes omnem varietatem suam: vel ex instituto, seu divino, ut regimen universi, pactum de non delendo mundo per diluvium, vide mediante factum; seu humano, ut dominium, servitus, contractus, arrha, limes, acies, &c.

IV. Termini; vel mutua, ut respectus inter patrem & filium, dominum & servum: vel non-mutua, ut respectus creaturarum ad Deum, tanquam creatorem suum: qui realis est, sed rationis tantum, Dei

seu creatoris ad creaturam. Item, vel *aquiparantia*, ut respectus inter fratres, amicos, vicinos, æqualia, similia: vel *disquiparantia*, cum *superpositionis*, ut relatio ducis ad militem, principis ad subditos: tum *suppositio- nis*, ut relatio militis ad ducem, subdito- rum ad principem.

ACTIO est, respectu I. *Principij*; vel *DEI*, ut creatio, conservatio, gubernatio rerum omnium, resuscitatio mortuorum, inhibitio cursus solis, &c. vel *creatura*; seu *spiritua- lis*, ut Angeli, Animæ separatae: seu *corporalis*, rerum & *simplicium*, ut cœli, stellarum, elementorum, & *mixtarum*, cum *imperfectè*, tum *perfectè*, quorumcunq; *graduam*, infi- nitè varians.

II. *Termini*; vel *materialis*, partim *subst- antialis*, ut generatio, corruptio, partim *acci- dentalis*, eaq; terminata tum ad *quantitatem*, ut augmentatio, diminutio, tum ad *qualita- tem*, quæ vel *habitus*, ut actio quæ scientia, prudentia, comparatur; vel *patibilis qualitas* aut *passio*, ut calefactio, rarefactio, amor, odi- um, vel *figura*, ut prolongatio, circulatio: tum ad *relationē*, ut coronatio regis, electio rectoris: vel *spiritualis*, ut actio rei visibilis in oculum, cognoscibilis in intellectum.

D

III. *Sub-*

III. *Subjecti*; vel *immanens*, ut sensus, intellectio, volitio: vel *transiens*, seu per *emanationem*, ut illuminatio, seu per *transmutationem*, ut calefactio, liquefactio.

IV. *Modi*; vel *naturalis*, partim *strictè dicta*, qualis est rerum inanimatarum, & plantarum, partim *spontanea*, qualis est brutorum: vel *voluntaria*, seu *libera*, qualis est hominum, deliberato consilio facta. Deinde, vel *instantanea*, ut illuminatio, generatio: vel *successiva*, ut induratio, augmentatio. Deniq; vel *inceptiva*, ut productio: vel *continuativa*, ut conservatio: vel *defectiva*, ut corruptio.

PASSIO, ferè tot modis variat, quot actio: estq; vel *intentionalis*, ut receptio speciei visibilis in oculo: vel *realis* & *transmutativa*; cum *spirituum*, tum *corporum naturalium*, partim *perfectiva*, v. gr. cognitio, gaudium angelorum, sustentatio, gubernatio mundi, motus siderum in cælo, transmutatio elementorum, & elementorum, &c. part. *defectiva*, cum *ledens*, ut fames, sitis, fauciatio, tum planè *destruens*, ut combustio, putredo, caries.

UBI, est vel *definitivum*, Angelis & animabus separatis, vel *circumscriptivum* corporibus naturalibus, competens. Estq; respec-
ctu

habere. Deinde, vel *artificialis*, ut in domo, tectum esse fursum, fundamentum deorsum, parietes ad latera: vel *inartificialis*, ut in domo, si paries super tectum, fundamentum supra parietem, eminent. Deniq;, *necessarius*, ut in arbore, radicem in terra, truncum & ramos super terram in aere dari: vel *voluntarius*, ut fessio, divaricatio pedum.

II. *Modi*; vel *rectus*, ut est hominis in se spectati: vel *inflexus*, & hic, vel *pronus*, vel *supinus*, vel *incurvatus*, &c.

HABITUS, est vel *naturalis*, ut *cælum esse stellatum*, *virum barbatum*: vel *artificialis*, cum *ornamenti*, ut esse *torquatum*, *coronatum*; tum *indumenti*, partim *pacatus*, isq; *diurnus*, aut *nocturnus*, *domesticus*, aut *publicus*, *hilaris*, aut *lugubris* &c. partim *bellicus*, & *defensivus*, ut esse *galeatum*, *clypeatum*, & *offensivus*, ut esse *gladiatum*, *hastatum*. &c.

MEMBR. V. DE TERMINO DISSENTANEO, quem in *Postpradicamentis* tradit Aristoteles.

Erat **Terminus Consentaneus**, secundum omnem varietatem suam: **TERMINUS DISSENTANEUS** est *terminus incomplexus*, aptus *pradicari negativè*.

Estq; vel **Primarius**, qui *disensionem*

tum

cum pugna; vel secundarius, qui dissensionem sine pugna, dicit. *Primarius*, sunt *Opposita*; *Secundarius*, partim *Disparata*, partim *Diverfa*.

OPPOSITA sunt, quorum unum uni repugnat. Scilicet, idem genus oppositionis, aut eundem dissensionis modum, attendendo. Quorum *conditiones* insinuat effatum: *Opposita non attribuuntur eidem, secundum idem, ad idem, & eodem tempore.*

H. e. Ea quæ sunt opposita realia, non possunt eidem rei singulari, penes eandem sui partem, eodem respectu, seu modo significandi, & eodem temporis momento, tribui.

Suntq; vel *Positiva*, quorum uterq; terminus dicit aliquid, quod essentiam habet: vel *Negativa*, quorum alter terminus dicit id quod essentiam alterius removet.

Positiva sunt partim *Relativa*, partim *Contraria*.

RELATIVA sunt, quorum alterum ita cum altero pugnat, ut simul ad ipsum, seu correlatum suum, referatur. V. gr. *Socer-gener*. Nempe *Socer* non est *Gener*, & tamen *Socer* est generi *Socer*, uti *gener* est *Soceri gener*, aut non *Socer*.

CONTRARIA sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, eidemq; subjecto vicissim insunt, nisi alterum insit à natura. Sic

Sic ergò *strictè*, certam speciem Oppositorum; & non *latè*, quævis opposita, vel etiam dissidentanea, notant hoc in loco.

Suntq; vel *Immediata*, quæ carent medio; puta, participationis sui. V. gr. virtus & vitium, spiritus & caro. vel *Mediata*, quæ medium habent. V. gr. calor & frigus, inter quæ mediat tepor, Albedo & nigredo, medium colorem admittentes, nempe rube-dinem, flavedinem &c.

Negativa sunt, vel Privantia, vel Contradictentia.

PRIVANTIA sunt, quorum alterum tollit alterum, in subjecto capaci per naturam.

Et in hisce, *Terminus Positivus*, nominatur *Habitus*: estq; res omnis alicui, tempore per naturam destinato, debita. V. gr. sanitas in vivente, visus in oculo. *Negativus*, est ipsa Privatio, tanquam carentia rei subjecto capaci competentis, ut Morbus, absentiam sanitatis in vivente, Cœcitas defectum visus in oculo, notans.

Estq; *Privatio*, vel *partialis* & *imperfecta*, quæ tollit actum, & relinquit potentiam; V. gr. Somnus resp. vigiliæ, silentium resp. loquelæ: vel *totalis* & *perfecta*, quæ tollit una cum actu potentiam; V. gr. Mors resp. vitæ.

CON-

CONTRADICENTIA sunt, quorum alterum tollit alterum simpliciter, & in omni subjecto.

Suntq; vel *Explicita*, cum termino positivo superinducitur expressè negatio: vel *Implicita*, cum ad terminum positivum additur alius terminus positivus, naturam, aut proprietatem, ejus destruens, ut homo bestialis, furtum pium. Quam contradictionem in adjecto vocant.

Explicita verò sunt partim *directa*, cum idem terminus negatur, E. gr. homo, non-homo, corpus non-corpus: partim *indirecta*, cum proprium alicujus termini negatur, E. gr. homo non risibilis, corpus non quantū.

DISPARATA sunt, quorum unum à multis pariter dissentit. H. e. eodem dissensionis non-oppoſitivæ modo manente. Suntq; *Primaria*, vel *Secundaria*.

Primaria, sunt species sub eodem genere, quæ propriè non contrariantur; unà cum differentiis dividendis genus, sub quo sunt. E. gr. Spiritus & Corpus, immateriale & materiale, numerus & magnitudo, discretum & continuum.

Secundaria sunt quævis alia, quæ per naturam suam verè dissentiant, & tamen non sunt Opposita. V. gr. DEUS & longitudo, color & superficies, personalitas & inhærentia,

rentia, cæcitas & paupertas, nuditas & aer, aqua, terra, lapis, arbor, & id genus.

DIVERSA sunt, quæ solâ ratione dissentiunt. h. e. quæ sic disconveniunt, ut tamen eidem subjecto simul convenire potuissent eodem tempore. V. gr. Pauper & eruditus, dives & pius.

Adeoq; *Diversa* nihil aliud sunt quàm *adjuncta*, vel *effecta contingentia*, quæ simul non conveniunt alicui rei, cui tamen convenire possent, & in alio subjecto similis naturæ simul sunt. E. gr. Lazarus fuit pius, sed non dives. Plato fuit doctus, sed non Christianus.

Ad *Dissentanea secundaria* spectant *Prius*, & *Posterius*, *Simul*, *Motus*, *Habere*: quæ recenset in hypocategoriis Aristoteles.

Prius est, quod *antecedit aliud*. Vel *tempore*; quomodo flos fructu: vel *natura*; quomodo pars toto suo: vel *ordine*; quomodo *Propositio confirmatione*: vel *honore*; quomodo *consul cive*: vel *causâ*; quomodo *sol die*: vel *loco*; quomodo *nobis aer cælo*: vel *cognitione*; seu *discretâ*, quomodo *notitia cæli*, quàm *elementorum in physicis*, seu *continua*, quomodo *notitia caloris* quàm *ignis latentis*; prior est. Et quicumq; modi sint alij.

Posterius est, quod *sequitur aliud*. Atq; tot modis

modis *variat*, quot modis *Prîus*; ceu *correlatum* ejus.

Simul est, quod cum aliquo concurrit. Et est tale, vel *tempore*, V. gr. mors *Salvatoris*, & folis *obscuratio* trihoraria per omnem *terram*: vel *relatione*, V. gr. magistratus & subditus: vel *perfectione*, V. gr. ignis & aer: vel *cognitione*, V. gr. Sol & lux: vel *divisione*, V. gr. brutum & homo: vel *loco*, V. gr. piscis & lapis aut lignum in aqua.

Motus est actus mobilis, quat. est mobile. Estq; vel *substantialis*, ut *Generatio*, & *Corruptio*: vel *accidentalis*; & terminatur aut ad *quantitatem*, ut *Augmentatio*, & *Diminutio*, aut ad *qualitatem*, ut *Alteratio*, aut ad *ubi*, seu *locum*, ut *Latio*.

Habere, vagatur per omnia *Prædicamenta*. Dicimur enim *habere*, vel *substantiam*, ut *Animam*; vel *quantitatem*, ut *Longitudinem*; vel *qualitatem*, ut *Scientiam*: vel *relationem*, ut *Dominium*: vel *actionem*, ut *Sermonem*: vel *Passionem*, ut *Dolorem*: vel *durationem*, seu *quando*, ut *Annos*, dicendo, multos *annos* habet: vel *praesentiam*, seu *ubi*, ut *in sinu*, manu; vel *Situm*, ut *corpus inclinatum*, erectum: vel *habitum*, ut *vestes*, *annulum*.

D §

Ad

Ad habere quidam referunt *Inesse* ; quod
 itidem variat, juxta versiculos:

Insunt pars, totum, species, genus, & ca-
 lor igni.

Rex in regno, res in fine, locoq; locatum.

MEMBRUM VI. DE DEFINITIONE
 ET DIVISIONE.

Fuit Terminus Aptus Incomplexus, &
 Consentaneus, & Dissentaneus: **TERMI-
 NUS COMPLEXUS** est, qui pluribus, quam
 uno conceptu, constat.

Estq; partim *Definitio*, partim *Divisio*.

DEFINITIO est *Oratio*, quidditatem ali-
 ejus explicans. Ejusq; correlatum est *Defi-
 nitum*, id nempe, cujus quidditas per defini-
 tionem explicatur. Partim *nominale*, par-
 tim *reale*: cum *primarium*, tum *secundarium*.

Est igitur & *Definitio* vel *Nominalis*, vel
Realis. *Definitio Nominalis* est, quæ quid nomi-
 nis explicat. H. e. Significationem vocis; aut
 sententiam orationis. Eaq; *Primaria*, vel *Se-
 cundaria*.

Primaria dicitur, quâ vocem explicamus ex
 notatione suâ. V. gr. *Fides* est, cum sit illud
 quod dicitur, *Focus* est quasi fovens omnia.

Secundaria, quâ vocem explicamus aliâ voce
 notiori

notiori; vel ejusdem, vel diversæ lingvæ.
V. gr. Honestum est id quod decet, Amen
idem est quod Fiat.

Definitio Realis est, quæ quid rei declarat.

Atq; Plenius definiti potest; quòd sit
*terminus simplex complexus, explicans rei quiddã-
tatem, aut aliquid ad eam quoquo modo spectans.*

Hujus considerandæ sunt Partes, Species,
& Leges.

Partes sunt duo Conceptus. Unus generalis,
ac communis, indeq; determinabilis, &
vocatur in rebus creatis, Genus: alter *speci-
alis, & proprius, indeq; determinans; &
dicitur in rebus creatis, Differentia.*

*Genus est prior pars Definitionis, essentia-
liter Definito communis cum aliis. Hinc
etiam conceptus convenientiæ nominatur.*

*Differentia est posterior pars definitionis,
Definito propria. Quamobrem etiam con-
ceptus disconvenientiæ dicitur.*

Atq; *desumitur, in Substantiis, vel à forma:*
vel à proprio famosiori, locum formæ laren-
tis tenente: vel etiam ab *accidentibus, & ef-
fectis* quibusdam complicatis, ubi nec Pro-
pria suppetunt. In *Accidentibus;* ab *objecto,*
*subjecto, causis externis, proprietatibus, circumstan-
tiis:* attamen diversimodè, prout Acciden-
tia variant.

Quoad

Quoad *Species*, est *Definitio Realis* vel *Perfecta*, quæ distinctis conceptibus plenè rei quidditatem explicat: vel *Imperfecta*, quæ non plenè rei naturam declarat; & vocatur aliàs *Descriptio*.

Definitio Perfecta est vel *essentialis*, vel *essentialis & causalis* simul, vel etiam *partialis*.

Essentialis est, quæ sumitur à *causis internis*, aut quasi talibus. Estq; partim *Physica*, partim *Metaphysica*.

Physica fit per *materiam & formam substantialem*: ut, homo est *substantia naturalis*, constans corpore organico & animâ rationali.

Metaphysica fit aut per *genus & differentiam specificam*, in rigore talem; ut, angelus est *Spiritus finitus completus*: aut per *conceptus quidditativos*, qui sunt *instar generis, & differentia specificæ*; V. gr. *Substantia* est ens per se subsistens.

Essentialis & Causalis simul est, quæ desumitur à *causis internis & externis*: ut, Homo est *animal rationis compos*, à DEO conditum ad vitam æternam.

Ubi notandum; quòd aliàs in *Accidentium definitione*, *Definitio* dicatur *Essentialis*, cùm *Subjectum*: *Causalis*, cùm *efficiens*, aut *finis*: *Essentialis & Causalis* simul, cùm *subjectum*

jectum & efficiens, aut finis, differentiã constituunt.

Partialis est, quæ rem explicat per partes integrantes: aut propriè dictas; aut analogas. E. gr. Arbor est corpus vivens, ex radice, trunco & ramis; Philosophia habitus, ex sapientia & prudentia, constans.

Descriptio, sic dicta, quòd non plenè rei naturam explicet, sed primis quasi lineamentis adumbret; est vel arbitraria, vel necessaria.

Arbitraria dicitur, quæ dependet à voluntate definientis. Et est in communi, quæ vel Genere caret, E. gr. Fides est earum rerum quæ sperantur, & non videntur: aut genus *Metaphoricum* habet, ut, Lex est mortuus Magistratus, facienda fugiendaq, cum obligatione, præscribens. Vel *Differentiam imperfectam* habet; ut, homo est animal mortale, disciplinæ capax.

In *particulari*; cum definitur *Substantia*, vel per genus & *Proprium*, ubi forma non latet: ut, homo est animal disciplinæ capax. Vel per genus & *Causas Externas*: ut, homo est animal à DEO conditum ad æternam beatitudinem. Vel per genus & *Accidentia coærvata*: ut, homo est animal bipes, disciplinæ capax, & incedens erecto corpore.

Accidens; aut per genus & subjectum:
ut,

ut, Tonitru est sonus in nube. Aut, per *genus & causam*: ut, Dies est tempus factum à solis motu supra terram.

Necessaria vocatur, quæ talis est ob naturam rei definitæ: propter imperfectionem, vel conceptus nostri; qualis est Individuorum, & substantialium, & accidentalium: vel ipsius rei, qualis est partis essentialis, & integralis, modi substantialis, & accidentalis, aggregatorum, concretorum, artefactorum, imaginum, notionum secundarum, privationum, negationum.

Leges concernunt, vel Integram Definitionem. Quales sunt; Definitio constet pluribus partibus. Definitio sit adæquata definito suo. Proindeq; nec latior, nec angustior. Definitio sit negativa: non copulativa, nec disjunctiva. Definitio constet verbis propriis, perspicuis, & usitatis. Unius rei una est definitio.

Vel Genus. Quales sunt; Genus sit in eadem categoria cum definito. Genus ponatur proximum, non remotum. Accidens non potest esse genus substantiæ.

Vel Differentiam. Quales sunt; Differentia sit essentialis, non accidentalis. Differentia non sit remota, sed proxima. Differentia separet definitum ab omnibus aliis. Differentia non trahatur de genere in genus.

DIVI-

DIVISIO est Oratio, qua Totum aliquid in partes resolvitur. Estq̄, Correlatum ejus Divisum, uti Totum, in partes suas resolvable: partim Verbale, partim Reale, cum *primarium*, tum *secundarium*.

Et hinc est Divisio vel vocis, vel rei.

Divisio vocis, varios alicujus dictionis significatus, aut orationis sensus, evolvit. Vocatur alias *Distinctio*. V. gr. Mundus significat vel systema rerum naturalium, vel totum genus humanum, vel turbam impiorum. Littus arare, dicit vel proprie, terram vicinam aquis aratro proscindere, vel tropicè, frustra laborare.

Divisio rei, Totius alicujus partes sistit. Estq̄, *Primaria*, cujus divisum est suâ naturâ totum: vel *Secundaria*, cujus divisum non est suâ naturâ totum, à nobis tamen aliquo modo distribuitur.

Primaria est Totius aut essentialis, aut integralis, aut universalis.

Totius *Essentialis* est, partim *Physica*; cum *primaria*, quâ substantia naturalis dividitur in materiam & formam, Ut, homo in corpus & animam rationalem: tum *secundaria*, quâ resolvitur aliquid, quod non est substantia naturalis, in materiale suum & formale, V. gr. Vox, in sonum & significatum; Vel etiam

Alia

accidens concretum, in subjectum denominatum & formam denominantem, E. gr. Doctus, in hominem & doctrinam.

Partim *Metaphysica*, quæ fit in partes, generalem compositionem Entis facientes: ut, in Esse & Essentiam, Actum & potentiam, naturam & suppositum.

Partim *Logica*; tum *primaria*, quâ species in genus & differentiam, Ut animal, in corpus vivum, & sentiens: tum *analogâ*, quâ res non predicamentalis, in conceptum quidditarivum, communem, & proprium, aut determinabilem & determinantem, qui sint instar generis & differentiæ, dispescitur. V. gr. Substantia in ens, & substantiam. Spiritus, in substantiam, & immaterialitatem.

Totius Integralis, est etiam vel *primaria*, constans partibus verè quantis; vel *analogâ*, constans partibus proportione respondentibus iis, quæ verè sunt quantæ, nimirum in eo, quòd omnes sint quasi materiales.

Primaria rursus est *Totius* vel *homogenei*, seu *Similaris*, cujus partes sunt ejusdem naturæ, tam inter sese, quàm cum toto suo. V. gr. cum aurum, aut sanguis dividitur: vel *heterogenei*, seu *dissimilaris*, cujus partes sunt diversæ naturæ, tam inter sese, quàm cum toto suo collatæ; sive totum sit *naturale*,
V. gr.

V. gr. cùm Arbor in radicem, truncum & ramos, five *artificiale*, V. gr. cùm Domus in fundamentum, parietes, & tectum dividitur.

Analogia, competit partim *Aggregatis*, cùm in partes integrantes dispescuntur. V. gr. Philosophia in sapientiam & prudentiam: partim *Qualitatibus*, cùm in gradus intensio- nis & remissionis dividuntur. V. gr. Calor in gradus tres, frigus in gradus quatuor: partim *Totis potentialibus*, cùm in potentias, aut facultates distribuuntur. V. gr. Anima sentiens, in vim sensitivam, appetitivā, & locomotivam, anima rationalis in intel- lectum & voluntatem.

Totius Universalis, fit in partes subjectivas. Estq; vel *primaria*, quâ genus in species suas dividitur, Ut animal, in hominem & brutum: aut *quasi* genus in quasi species, ut Ens, in substantiam & accidens.

Vel *Secundaria*, quâ dividitur 1. Genus in dif- ferentias; Ut animal, in rationale & irra- tionale. 2. *Differentia generalis in speciales*; Ut Sentiens, in rationale & irrationale. 1. *Species in individua*, ut homo, in Adamum & Evam. 4. *Differentia specifica in individua*, ut rationa- le, in Petrum, Johannem, Annam, &c.

Divisio Secundaria, nempe cuius divisum

E

non

non est suâ naturâ Totum, est vel causativa,
vel effectiva, vel subjectiva, vel adjunctiva.

Causativa dicitur, ubi causa distribuitur
in causata sua. Nempe *Finis* in finita sua,
V. gr. fidei corroboratio in auditum verbi,
usum sacramentorum, & precationem:
Efficiens, in effecta sua, V. gr. calor in emol-
litionem, indurationem, rarefactionem:
Materia, in materiata sua, V. gr. sanguis in
in spiritus, carnem, lac: *Forma*, in formata
sua, V. gr. sensitivum in brutum & hominē.

Effectiva dicitur, ubi causatum distribuitur
in causas suas. Ut pote *Finitum*, in fines su-
os; E. gr. equus est ad equitandum, aut
vehendum: *Effectum*, in efficientes suas; E.
gr. fames est ex sterilitate, vel vastatione:
Materiatum, in materias suas; E. gr. vas est
vel aureum, vel argenteum, vel luteum, vel
ligneum. *Formatum* in formas suas; E. gr.
animal est rationis compos, aut exors.

Subjectiva dicitur, ubi distribuitur subjectū;
aut *recipiens*, in adjuncta recepta, V. gr. ho-
minum quidam fideles, quidam infideles
sunt: aut *occupans*, in adjuncta occupata,
V. gr. fabri quidam sunt lignarij, quidam
ferrarij, quidam cuprarij.

Adjunctiva dicitur, quâ distribuitur *adjun-*
ctum; aut *receptum*, in subjecta recipientia,
V. gr.

V. gr. lux est vel solis, vel ignis, vel gemmæ: aut *occupatum*, in subjecta occupantia, V. gr. peccatum aliud est in DEUM, aliud in proximum, aliud in nos metipsos.

Leges etiam hinc observandæ, concernunt vel ipsam Divisionem; uti sunt: Divisio sit adequata diviso. Proindeq; cum eo reciprocerur. Divisio, quantum fieri potest, sit bimembris. Divisio fiat per membra positiva, non negativa. Divisio non fiat per extrinseca diviso. Divisio non faciat saltum: adeoq; fiat in partes immediatas & proximas, non mediatas, & remotas. Divisio nominalis est primum de re quavis discerendi principium.

Vel Partes divisionis; & sunt. Partes divisionis cum diviso consentiant, inter se verò dissentiant. Partes divisionis non sint subordinatæ, sed coordinatæ. Partes simul sumptæ, convertantur cum diviso. Partes divisionis singule minus habeant, quam totum divisum. Partes divisionis ambulent pari passu. Partes dividentes, non evertant naturam divisi. Non ens non potest esse pars dividens. In partibus divisionis ordinandis, servetur ordo didascalicus. Partes majores divisionis, antecedant minores.

Et hæc est omnis illa varietas Termini Simplicis, ceu Medij, quo primus intellectus nostri, Verum cognoscentis, actus
in

in apprehensione Simplicium dirigitur.
Nempe

Terminus Simplex est vel Signans vel Signatus.

Signans est vel absolutus, vel collativus.

Absolutus attenditur ex parte cum Materialis, tum Formalis, Spectando partim Rem significatam, partim Modum significandi.

Signatus est vel Ineptus, vel Aptus ad dirigendam Simplicium apprehensionem, ut Verum Representationis per ipsum innotescat.

Ineptus sunt cum primis Homonyma: confusè plura diverse natura notantia.

Aptus est vel Incomplexus, uno; vel Complexus, pluribus quàm uno, conceptu constans.


Incomplexus est vel Consentaneus, aptus affirmativè; vel Dissentaneus, aptus negativè predicari.

Consentaneus, sunt partim Synonyma, respectum essentialem; part. Paronyma, respectum non-essentialem, concernentia.

Utraque considerantur primùm in præcisione formali; post, in applicatione materiali: Suntque sic vel Extrapredicamentalia, part. Eminentia, part. Transcendentia, part. Deficientia: vel Predicamentalia, spectata Sigillatim, in Prædicabilibus, & Combinatim, in Prædicamentis.

Dissentaneus sunt Opposita, Disparata, Diversa.

Complexus, part. Definitio, part. Divisio.



Handwritten signature or initials



